



Phenom.  
XXIII.

tatem, partim per inferiora quatuor foraminula interioris, partim verò laterali juxta margines interioris defluxu, replebat. Ita verò factis observatisque fideliter omnibus, quæ Doctissimus *Dn. Morus* Philos. Tom. I. p. 363. 370. & seqq. præscripserat, (nisi quòd in accidentariis quibusdam paulò aliter construximus machinulam nostram, quæ rem ipsam tamen nihil mutant) id quoque verum esse deprehendimus, quod ibidem adnotavit: interiorem scil. hydriam, quam vacuum vasculum *Z* ab æquilibrio dimovere haut potuerat, plenam postea dimovisse; siquidem ad summum repletis utraque hydriâ & aquâ in operculo *L* jam superabundante, vasculum *Z* manifestò descendere, hydriamque adeò interiorem elevare, conspeximus, idque tantò evidentiùs aliâ vice, cum remoto operculo *L* hoc idem experimentum iteratò cepissemus. Quinimò, quod ad *Mori* scopum fortasse magis adhuc facere possit, eundem hunc effectum in situla interiori